

DE VARIOLIS

extenuare, incidere. Et si diminitè aut tardè papulæ erumpant, exhibitis attenuantibus incidentibus, & admotis cuti relaxantibus & attrahentibus, prouocare, ac interim cor visceraq; confortare.

36. Altera indicatio erit, prauos humores & vapores ad cor & cerebrum irruentes, reuellere, & symptomatibus urgentibus occurrere: peculiariter verò oculos, fauces & intestina aliaq; viscera, ne prauas superfluitates admittant, modicè astringentibus roborare; tandemq; variolas in cute sine noxa tollere.

37. Verùm pugnant plerunq; hæ indicationes. Nam refrigerantia, quæ febris feruorq; humorum indicat, expulsionioni materiæ ad exteriora aduersantur. Deinde quæ humorum redundantiam extra corpus euacuant, non sinunt vitiosos humores ad cutem ferri. Quare in hac indicationum pugna, Medici erit, semper ei primò occurrere, quod maximè vrget, & reliquas actiones non impedit, & potiss. nihil aut quàm minimum motum ad cutem prohibet. Verùm initio statim si vehemens sit ebullitio, ad corruptionem tendens, sanguisq; tenuis & biliosus, conuenit potiùs humores refrigerare, motumq; humorum contemperare refrigerantibus, refrenantibus siue incrassantibus, ac etiam redundantiam euacuare. Deinde sensim ad ea progredi, quæ attenuant, incidunt & ad cutem propellunt.

Diæta.

Aër.

38. Perficiuntur hæ operationes diæta, chirurgia aut pharmacia. Ac primùm aër ambiens sit tepidus, ad calidum potiùs quàm frigidum inclinans; seduloq; cauendum, ne aëris frigidioris occursum materia pustularum ad interiora recurrat. Quare ægri benè contacti in aëre lucido iaceant, vt aërem liberè attrahere queant: ita tamen, ne vestibus, plus nimio onerentur. Deinde in morbillis erumpentibus aut variolis,

riolis,